



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ex cessatione causæ, ibid. parag. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

6 Respondeo. Erit utique, quia occisio tunc parit Irregularitatem, quando homo moritur, sed in casu proposito Cajus mortuus est, quando Petrus ob Baptismum susceptum jam erat subditus Ecclesiae; ergo, &c.

§. II.

Ex Professione solenni Religiosa.

1. **P**er hanc Professionem, nullam de Jure Irregularitatem deleri, tenendum est, præter eam, quæ est ex defectu Natalium eo modo, quo suo dictum est loco.

2. De consuetudine, quisque videat: quid in sua Religione sit legitime introductum? In qua re duo sunt explorata. Alterum, Religionis ingressum reddere facilem Irregularitatis dispensationem, Alterum, dictam legitimam consuetudinem, si qua in Religione est, esse servandam. De qua sic habet a Suarez. Ubi fuerit talis consuetudo (loquimur autem de consuetudine, qua, quis liber intelligatur ab omni Irregularitate) retinenda est, quia licet per se sola non valeat dare Jurisdictionem; est tamen sufficiens signum potestatis concessæ, etiam si fortasse tunc de expresso privilegio non constet. Hæc Suarez.

§. III.

Ex Cessatione Causæ.

1. **D**ixi sparsim de hac in Superioribus. Nunc breviter hæc habe compendiosius. Non est hic quæstio de Irregularitatibus omnibus, an eæ cessent, cessantibus causis, sed de aliquibus, quæ actu pendent à sua causa. Irregularitates ergo ex Bigamia, homicidio, Hæresi, illegitimo Natali, & similes hic locum non habent; hæc enim semel contractæ à suis causis amplius dependent, unde ex se sunt perpetuæ, nisi accedat legitima dispensatio. At Irregularitates ex defectu ætatis, scientiæ, libertatis, saninitatis, & similibus, cum pendeant ab actuali dicto defectu, eo amoto, statim cessant, & ipsæ. Lege Suar. Sayrum, aliosque citatos.

2. Quid, si cesset lex Irregularitatis? Explico. Est certa lex in Ecclesia; ut, qui occidit aliquem injuste, sit Irregularis. Fac ergo summum Pontificem hodie statueret, ut non sit Irregularis ille, qui hominem injuste occidit, Inquiri, an si-

cuti non futurus sum Irregularis, si in posterum occidam aliquem, sic liberer ab Irregularitate, quam contraxi ex homicidio, quod commisi, priusquam hæc nova lex constitueretur?

3. Respondeo, Esse id ex verbis legis definiendum, si enim lex hæc loquatur in futurum, ut scilicet in posterum non incuratur ex occisione Irregularitas, non cessabit Irregularitas antea contracta. Sicuti, si Pontifex nunc statueret, ne amplius contraheretur excommunicatio à percussione Clericos, non propterea non remaneret excommunicatus, qui ante hanc abrogationem Clericum percussit.

4. Si vero lex loquatur, etiam de præterito, in hunc ferè modum. *Definito, ut Irregularitates ex occisione contractæ non habeant amplius vigorem*, cessabit Irregularitas antea contracta, seu melius Pontifex dispensare tunc censebitur contractam Irregularitatem.

5. Si denique dubia sint verba legis, num ea se extendant ad abrogandas antecedentes Irregularitates, tunc (salvo meliori judicio) putò, eas cessare. Hujus dicti, in quo est difficultas, ratio esse possit, quia, in hoc casu, benignior legis interpretatio debet eligi: agitur enim de abrogatione legis pœnalis, qua lege pœnali ablata, restituitur homo primævis juribus, ut non reputetur indignus altari. Posita autem hac benigna, & probabili interpretatione, jam non est amplius dubia lex. Aliquid in hanc rem invenies, si legas a Suarium, Bonacinam, & Filliuc.

§. IV.

Ex Dispensatione.

1. **D**E hac per occasionem plura, ferè quæ scitu sunt necessaria, dixi in præcedentibus, quibus, ut aliquid hic agamus, adde duo.

2. Primum. Si quis Irregularis assumatur ad summum Pontificatum, statim in eo cessat omnis Irregularitas Juris humani: ejusmodi enim assumptio est æquipollens Dispensatio. Similis etiam Dispensatio æquipollens, seu implicita esset, si Pontifex, sciendo, te esse Irregularem in circumstantia, in qua judicetur Pontifex tuæ Irregularitatis memor; te invitaret ad Missam celebrandam, &c.

3. Secundum. Equibusnam verbis expediet dispensator ipsum actum Dispensandi?

Q 2

Respon-

a Suar. de
Cens. d. 4. c.
se. 1. n. 7.
b Bonac. de
Cens. d. 7.
q. 5. pun. 1.
a n. 2.
c Filliuc. tr.
20. c. 10.